Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 151
Quelle:
Copyright:

CIII.

R. 6 * Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 256. f. maj. charactere crassiusculo, atro, luculento per duas columnas descriptus, literis initiorum auro et coloribus, ceterum minio distinctus *D. Pauli Epistolas* ita exhibet, ut Textus a Commentario multo minutius et compressius exarato circumdatus sit, ut in antiquioribus editionibus Corporum Juris civ. et can. Bibliorumque glossatorum videre est. Prologus infit: *Principia rerum requirenda sunt prius. ut eorum notitia plenior possit haberi.* Itaque te aut *Ambrosiastrum* illum, qui ad calcem T. II. *Opp. Ambrosii* edit. *Maur. col.* 25. extat, aut *Rab. Mauri* Expositionem in *Paulinas* prae manibus habere putes. Verum sequitur mox: *Si ergo epistolarum scripture post euangelium edite modum et rationem ostenderimus. poterit videri uerum quod dicimus. Sciendum igitur quod sicut in ueteri testamento post legis mosayce eruditionem. ubi culture diuine mandata continebantur, prophetica doctrina fuit necessaria* &c. Hinc *Petrum Lombardum*, ejusque, ut fert inscriptio edit. Paris. 1547. 8. *Collectanea in omnes D. Pauli Apostoli Epistolas; ex DD. Augustino, Ambrosio, Hieronymo* &c. contexta agnoscas, quae in alia antiquissima *Argentinensi Joh. Mentelini*, ut videtur, editione f. penna miniata *Glossa ordinaria* praenotantur. Atque e praedictis mox Patribus *Petrum* plurima sua depromsisse etiam *Codex* noster indicat, nominibus *Aug. Jer. Ambr.* in superiore cujusvis paginae ora conspicuis. Cur vero Noster Tractationem suam iisdem sententiis, quibus memoratus *Ambrosiaster*, et post eum *Rabanus*, auspicari voluit? Periculo certe suo, apud eos, qui lectis primis *Codicum* lineis illico de Autore statuere amant. Exemplum nostrum integerrimum et sane splendidum in Epistola *ad Hebr.* hisque verbis desinit: *Gratia, id est, purgatio peccatorum et alia dei munera sint cum omnibus uobis Amen. Explicit.* E theca membranea, cujus dorso Titulus Operis nunc extritus more *hispanico* per longum decurrebat, suspicor *Codicem* cum Bibliotheca *Cardoniana* Palatinae illatum fuisse.

CIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 182. f. eleganter perscriptus et rubricis distinctus complectitur omnes D. *Pauli Epistolas* ita, ut Textus grandiusculus lineis laxis mediam columnam teneat, *Walafridi Strabi Glossa* dicta *ordinaria* utrinque margines occupet, *Anselmi Laudunens.* dicta *interlinearis* Textui superimponatur, ut videre est in Editionibus *Bibliorum glossatorum*, in quibus etiam comparent *Argumenta* illa, quae in *Codice* nostro singulis Epistolis praefiguntur. Ita ad Romanos: *Romani sunt in partibus italiæ* &c. ubi Noster legit *a falsis* U. 15